



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

CLXXXVII. Joannes XX. Dictus XXI. Anno Christi 1276. Rodulphi Regis 4.
Michael. Palæologi 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65477)

CLXXXVII.

JOANNES XX.

DICTUS XXI.

ANNO CHRISTI 1276.

RODULPHI REGIS 4. MICHAEL.
PALÆOLOGI 16.

JOANNES XXI. *Petrus* antea dictus, Juliani filius Lusitanus, anno 1276. XVII. Kal. Octobr. successor Hadriano V. creatus est. *Hic statim constitutionem per Gregorium X. de reclusionem Cardinalium, suspensam per Hadrianum, revocavit, abrogavitque.* (1) Legatos etiam misit ad Michaëlem Palæologum, qui curarent ratam faciendam ab eo pacem Ecclesiæ Græcæ cum Latina, juratam antea ab ejus Oratoribus in Concilio generali Lugdunensi II. Toto autem Pontificatus tempore, quod intra *mensēs octo exactum* est, sollicitus fuit pro retinenda Terræ Sanctæ parte ea, quæ adhuc in Christianorum erat potestate. Anno 1277. cameræ ruinâ percussus sexto inde die Idibus Maji occubuit Viterbii, sepultusque est in Æde S. Laurentii.

Rayn. an.

1276. §.

29. 45.

Spond.

§. 57

Rayn. an.

1277. §. 3.

19.

Spond. §.

1. 3.

Bbb 4

AN-

ANNOTATIONES.

(1) Ptolomæus Lucensis lib. 23. Hist. Ecclesiasticæ cap. 21. tom. 11. Scriptor Rer. Italic. pag. 1176.

Panvinius in annotat. ad Platinam pag. 181. Post Innocentii V. mortem, qui ei successit Hadrianus Papa V. Gregorii X. de conclavi constitutionem statim revocavit. Cujus revocationem, sive suspensionem, quod ante ejus coronationem facta fuisset, invalida erat, Joannes XXI. confirmavit. Atque sine conclavis reclusionem, qui deinceps ei successerunt Romani Pontifices, Nicolaus III. Martinus octavus IV. Honorius IV. & Celestinus V. creati sunt. A Celestino vero, eodem, quod Gregorius X. causâ moto, ipsius Gregorii X. constitutionem de conclavis reclusionem demum renovatam & approbatam, qui ei successit Bonifacius Papa VIII. ratam habens & confirmans, libro Decretalium sexto registravit. A quo deinceps tempore usque ad nostram memoriam perpetuo observata est. Hæc ex Glossa capituli Ubi periculum, cujus auctor fuit Joannes Andreas celeberrimus Juris consultus, Vide annotat. 3. ad vitam Nicolai IV.

CLXXXVIII.